



## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis  
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz  
Toletani è Societate lesv**

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

§. 6. De pudicitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](#)

intimam cum Domino familiaritatem  
diligenter properare.

Postulatio Virginitatis: Domine  
Iesu Christe, virgo purissime, & vir-  
ginis filius, & virginum sponsus, &  
virginitatis antesignanus: da his, qui  
incorruptionem sui corporis serua-  
uerunt, modestè de se sentire, & im-  
pensè virginitatem amare: his verò,  
qui eam perdiderunt, incorruptionis  
defectum humilitate supplere; ut  
puritas animæ & corporis, tibi in il-  
lis humilitate sit grata, & caro in his  
flore incorruptionis orbata, sit per  
pœnitentiam & humilitatem accep-  
ta. Amen.

### De Pudicitia. §. VI.

**P**udicitia à pudore dicta, est virtus,  
qua aspectum, os, & manus contine-  
nemus, ne in aliquid indecens minusue  
honestum tendant, quod munditia Ca-  
stitatis officiat. Est ergo pars quædam  
Castitatis, quæ ab indicijs & actibus  
D.Tho. 2. præuijs venereorum auocat, quales  
2.q. 51 sunt, *aspectus impudici, oscula, & ta-*  
*ctus*, vt D.Thomas ait.

Inci-

Incitamenta ad Pudicitiam sunt:  
 I. In ea non parum honoris situm est: nam impudici ( quia eorum inuercundia omnibus conspicua est ) multo magis, quam inhonesti, infames habentur. Ideoque homines alicuius dignitatis & nominis, licet in occulto luxuriæ habenas laxent, tamen in publico signa suæ immundiciæ interioris occultant, quia digni honore & reuerentia haberri volunt. Ad quod non parum facit, quod de Magno Alexandro narrat Basilius: qui, inquit, *Basil. ho.*  
*Darij filias captiuas, admirabili forma 24. de le-*  
*& decore conspicuo, nec etiam videre gen. lib.*  
*dignatus est: turpe esse existimans, vi-*  
*ctores his, quas ipsi superassent, genti-*  
*bus succumbere.*

H. Angeli, & sancti, & Deus, & nos ipsi nos in obscuro delitescentes videmus, quare æquum est, ut tam pueros oculos, ac nosiplos, Deo consecratos, reuereamur. De quo egregie loquitur idem Basil. in hunc modum: *Basil. l. de.*  
*Et si enim adsit nemo, ipsa tamen virgin*.  
*adest, debetq; præ omnibus seipsam re-*  
*uereri. Neq; .n. quæ reueretur cæteros,*  
 M 3 seipsam

seipsum reuerentiæ indigna iudicabit:  
verū (vt diximus) seipsum primum cō-  
scientiamq; suam reuerebitur, etiam si  
valde sit sola, deinde astante sibi custodē  
Angelū. Angeli..n. eorum semper videt  
faciem Patris vestri, qui in cœlis est. Nec  
vero conuenit, vt Angelus eius, cui credita  
est cura ac custodia salutis nostræ, facie  
aspernetur homo, atque in primis virgo,  
qua hunc ipsum veluti castitatis sue pa-  
ranyphum custodemq; habet. Praecū-  
tis autem ipsum sponsum suum reuere-  
bitur, sibi ubiq; assistente, ipsiusq; Patrē  
& sponsum sanctum. Quid per singula  
pergam? Ipsas Angelorū infinitas mul-  
titudines, & una sanctorum Patrū bea-  
tissimos spiritus. Nullus enim ex his est,  
qui non singula ubique consideret. Etsi  
enim oculis carnis minimè conspicui-  
sunt, incorporeis tamē obtutibus ad ag-  
nitionem complectuntur omnia & cō-  
prehendunt. Et hac ergo ratione si late-  
re virgo plures querit, longe hos magis,  
quitanti ac tales sunt, quam homines,  
reuereri merito debet. Et quia multi-  
tudinis pauescit obtutus, hos autem vi-  
tare impossibile est, qui sunt infinita-  
multis

multitudo, nihil vñquam indecens faciet, aut à proposito suo alienum.

III. Laus notanda Pudicitiae à Cypriano descripta, qui sic habet: Pudicitia est honor corporum, ornamen-  
tum morum, sanctitas sexuum, vin-  
culum pudoris, fons Castitatis, pax  
domus, concordiae caput. Hæc nos  
commendat Domino, cōnectit Chri-  
sto: hæc expugnat omnia de mem-  
bris illicita desideriorum prælia,  
pacem nostris corporibus indu-  
cit: Beata ipsa, & beatos effi-  
ciens, apud quoscumque habitare  
dignatur:

Actiones Pudicitiae sunt: I. Aspectū  
fœminarum & adolescentium, qui a-  
liquam turpem cogitationem excita-  
re possint, euitare.

II. Verbum minus honestum, ne-  
que vñquam proferre, neque patien-  
ter audire;

III. Tactum cuiusque personæ,  
non solum inhonestum, verū &  
nihil indecentiæ habentem, si val-  
de necessarius non sit, penitus eui-  
tare.

IV. Quisque seipsum erubescere; & nec manu corpus proprium attrectare, nec semet ipsum nudum aspicere.

V. Ita modestè & circumspectè in celia, & sine arbitris degere, ac sicut nos omnium hominum viderét.

Postulatio Pudicitiae: Domine Iesu Christe, qui sancto animarum pudore delectaris, & in sponsis tuis omnē pudicitiam & honestatem exquiris: da nobis, te semper præsentem cogitare, & omnia exteriora ac interiora nostra te intuentem agnoscere, ut ab omni eo motu & actu, qui tuę sanctitati inuisus esse poterit, diligenter abstineamus. Amen.

Lib 10.  
pa .2. per  
tot.

De Castitate & his duabus eius partibus infra latius agemus.

### De Maceratione. §. VII.

**M**aceratio est virtus qua corpus nostrum ieunijs, vigilijs, celiacjs, disciplinis, abstinentia cibi & potus, stationibus, genuflexionibus, humicubationibus, & alijs huiusmodi sponte castigamus, vt castitatem diligentius custodiamus, & Christo pro nobis crucifixo conformemur.

Inci-